

173.

D. D

PLANTA CIMICIFUGA.

Quam

Consens. Exper. Facult. Medicæ
In Regia Academia Upsaliensi,

PRÆSIDE,

Viro Nobiliss. atque Generoso,

**D: NO DOCT. CAROLO
V. LINNÉ,**

S. R. M. ARCHIATR. EQ. AUR. DE STELLA POL. MED. ET BOTAN.
PROF. R. O. ACAD. PETROPOL. IMPER. N. C. PARIS HOLM. UPS.
LOND. ANGL. FLOR. BEROL. MONSP. TOLOS. BERN. EDINE.
NIDROS. CELS. PHILADELPH. ZELAND. MEMBRO.

PRO GRADU DOCTORIS.

In Audit. Carol. Maj. D. Sept. 1774.

Horis a. & p. m. Solis,

Proponet

JOHANNES HORNBERG,

Petropolitanus.

UPSALIÆ,

Apud JOHAN. EDMAN, Reg. Acad. Typogr.

PLANTA

CIMICIFUGA

Consolidated Paper Mills
The Royal Canadian Institution

PRESTIGE

THE NEW YORK GAZETTE

DR. DOCT. CAROLO

V. LINNE

THE UNIVERSITY OF TORONTO
THE UNIVERSITY OF TORONTO
THE UNIVERSITY OF TORONTO
THE UNIVERSITY OF TORONTO

THE GRADUATE DOCTOR

THE GRADUATE DOCTOR

THE GRADUATE

JOHANNES HONNOR

UPPER

THE GRADUATE DOCTOR



Dum apud me constitueram, Specimen quoddam Academicum, more solito, edere, inque rimandis & examinandis medicamentis & morbis versarer, vastissimus mihi campus rerum sese obtulit, ut nescivem omnino quam materiam pertractandam eligerem. Vidi plurimas jam sæpius pertractatas, ut idem esset illas proponere ac crambem vel centies recoctam recoquere. Alias deprebendi tam obscuras, ut maxima & exercitatissima ingenia requirant, si perspicue & sufficienter explicentur. Mihi vero ita deliberranti in memoriam venit Herba illa CIMICIFUGA, de qua multi multa & eximia sperant, si accuratius Medicis cognita evadat. Non ingratum ergo fore speravi, si ejus plenior descriptionem bocce Specimine Academico exhiberem, præsertim quum huc usque vix ab aliquo plene sit delineata. Tuum vero L. B. conatibus meis juvenilibus æqui bonique consulere.

§. I. NOMEN.

Cimicifuga hæc, crescit in *Sibiria*, & primum ibi inventa est a *Messerschmido*, Botanico Germano, qui mittebatur ab Imperatore *Petro I. Magno* in *Sibiriam* ad detegendas Plantas ibi occurrentes. Ast obiit sub itinere, opusque ejus nondum publicam aspexit lucem; Manuscriptum autem (ut videre licet e scriptis *GMELINI*) hodie adhuc in Academia Petropolitana servatur.

Post longum temporis spatium Professor Petropolitani *AMMAN* orbi erudito illam communicavit sub *Thaliætroidis* nomine, quia similitudinem habet, quoad fa-

ciem externam, cum reliquis *Thalictris*, atque aliquo modo quoad Affinitatem Classicam propius illis accedit.

Tandem NOBILISS. D. PRÆSIDI quædam specimina sicca missa sunt e *Sibiria*, ex quibus Ei videbatur illam similem esse *Actææ racemosæ*, quoad folia, magnitudinem, Calycem, Corollam deciduam, Stamina numerosa, totamque herbam, & ideo referri illam posse putabat sub eodem genere cum *Actæa racemosa*. Cum autem postea Semina accepit, quæ ferebantur in Horto Academico, ibique florebant fructumque ferebant, tum Ei nobisque occasio data est, melius herbam examinandi, & observavimus illam non esse ejusdem generis cum antea nominata *Actæa*, sed tamen ei generi proximam, & præcipue ab illo genere differre Corollis Nectariferis & germinibus pluribus, quamobrem in ultimis *Systematis Naturæ* editionibus & *Speciebus*, novum constituit Genus, cum caractere suo, cui generi hocce nomen imposuit.

§. II. CLASSES.

Ad quas *Cimicifuga* amandari debet, sequentibus constabit.

CÆSALPINI 14. *Herbaceæ*, pluribus folliculis.

MORISONI 15. *Multifiliquæ*. Ord. 1.

RAJI *Multifiliquæ*. Ord. 2.

HERMANNI 13. *Multicapsulares, univalves*. I. *Multifiliquæ*.

BOERHAAVII 21. *Multifiliquæ*. Ord. 2.

RIVINI 4. *Regulares tetrapetali*. Ord. 8.

TOURNEFORTII *Rosaceæ*. Ord. 6.

LINNÆI 13. *Polyandria, trigynia*.

Ordine Naturali MULTISILIQUEÆ XXVI, & quidem in affinitate proxima cum *Delphinio*, *Aquilegia*, *Hel-leboro*, *Actæa* &c.

§. III. GENUS

NOBILISS. D. PRÆSES primum generis distinctum & naturalem tradidit CHARACTEREM (in ultima 13. Editione) *System. Nat. tom. 2. p. 24.* qui ita se habet.
CALYX *Perianthium* foliolis 5, subrotundis, concavis, caducis.

COROLLA *Petala* 4, urceolata, margine affixa, æqualia magnitudini calycis, caduca. *Nectarium* petaliforme, infimum, cartilagineum; persistens.

STAMINA. *Filamenta* 20, filiformia. *Anthere* didymæ.

PISTILLA. *Germina* 4-2. *Styli* recurvati. *Stigmata* stylo longitudinalia.

PERICARPIUM *Capsulæ* 4, oblongæ, futura dorsali dehiscentes.

SEMINA plurima, vestita squamis patentibus.

Obs. variat omnium maxime numero Calycis, Corollæ, Pistillorumque; neque sexus constans, nec proportio.

§. IV. SYNONYMA.

Thalictroides foetidissimum Christophorianæ facie, (cum descriptione absque figura.) *Amman. rutb. pag. 102.*

Cimicifuga. *Amœnit. Acad. 2. p. 54.*

Actæa racemis paniculatis, fructibus quadricapsularibus. *Spec. plant. p. 722.*

In Amœnit. Acad. tom. 7. pag. 436. D. AFFONIN figuram adposuit secundum specimen siccum, & *pag. 462.*

a D:o KARAMISCHEV breviter nominata est.

Ultimo a D:n. GMELINO *in Flora Sibirica tom. 4. pag. 181. tab. 70.* descripta & depicta *Cimicifuga.*

§. V. DESCRIPTIO.

Descriptionem *Cimicifugæ* nostræ sequentem in modum adornamus.



)

4

(



RADIX fibrosa, perennis, simulque nodosa, cirrhis transversis parum repens.

CAULIS herbaceus, erectus teretiusculus, obsolete inæqualiter subangulatus, scabriusculus, orgyalis, simplex.

FOLIA caulina 3-4, alterna, petiolata, decomposito-pinnata, quinata. *Folia partialia* bijuga ex foliis partialibus bijugis cum impari: partialia hæc pinnata, infima trijuga cum impari, proxima bijuga cum impari, impar etiam bijugum cum impari. Horum unum ad basin caulis; secundum in ejus medio; summum ad ramulum florentem infimum.

Pinna J. *Foliola propria* scabriuscula, multum acuminata, incisa, ferrataque; extima paulo majora, sublobata, sessilia, exceptis infimis.

Petiolus teretiusculus, canaliculatus.

Obs. adeoque folia dividuntur more plantarum umbelliferarum; folia etiam summa minus composita sunt & sæpe ternata.

STIPULÆ nullæ.

RACEMI alterni, in summitate caulis, subpedunculati, digitales, simplicissimi, subrecurvati (more Veratri).

FLORES pedicellis brevissimis ascendentibus.

CALYX. *Perianthium* foliolis 4 s. 5, subrotundis, concavis, deciduis.

COROLLA. *Petala* 4, flava, urceolata, æqualia, margine receptaculo affixa, vix calyce majora, decidua.

Nectarium petalis simillimum, infimum petalorum, subcartilagineum, permanens (nec caducum ut petala)

STAMINA *Filamenta* plurima (circiter 20), filiforma, tandem nectariis longiora. *Anthere* ovatae, didymae, erectae.

PISTILLA *Germina* 4-2, oblonga, pubescentia. *Styli* brevissimi, recurvi. *Stigmata* stylo longitudinalia.

PE-

PERICARPIUM. *Capsulae* 4, oblongae, futura longitudina-
li superne dehiscentes.

SEMINA plurima, squamis erectis undique vestita, mo-
do certe singulari & proprio.

Vix ulla herba reperitur magis varians, quam haec,
nam aliae dantur quae possident 2, 3, l. 4 *Germina* con-
stantia in eodem individuo; aliae pluribus constant *Necta-*
riis, aliae uno l. duobus; Aliae iterum sunt solum mares,
cum rudimentis germinum.

§. VI. HISTORICA.

Nihil ut omittam, memorabo, quid Auctores nostri
AMMAN & GMELIN, hac de herba narrant.

AMMANNUS pag. 102. *Messerschmidius* hanc jam an-
te decennium collegerit; Plantae titulus erat in Xenio
scilicet *Ind. Sibirica. Vanutscha Sibirica, Cimicifuga feti-*
da, Christophoriana foliis, floribus in thyrsis stamineis luteo-
lis, semine in corniculis villosis rufis. In ejusdem vero Dia-
rio planta haec appellatur *Vanutscha Trava Russorum feti-*
dissima, radice perenni, Christophoriana foliis, procerior, flo-
re in racemis luteo staminoso, capitulo seminali quadrivagi-
nato, semine villis foliaceis hispido plurimo.

Ante biennium GMELINUS Christophoriana vulgaris,
nostratis, racemosa & ramosa *Mor. hist. Oxon.*
p. 2 p. 8. nomine plantam, fructu destitutam, in Argu-
nensium officinarum campis versus occidentem sitis, lec-
tam, ad Acad. Scient. Imper. misit, quam ejusdem Tha-
lictroides esse existimo. Erat autem foliis, quam in Do-
donaei Christophoriana & americana illa proceriori &
longius spicata, *Horti Elth. p. 79. tab. 67,* multo profun-
dus laciniatis, rarius sed latius dentatis, angustioribus
elatioribus firmioribus, minus angulosis rectis, ad quo-
rum medium versus ex foliorum alis alternatim, ad qua-

tuor plus minus intervalla, pediculi oriebantur tenues, leviter hirsuti, biunciales, flores medium versus gerentes, Christophorianæ Dod. floribus multo majores, brevioribus pedunculis innascentes, numero plures, pluribus staminibus refertos; Summus autem caulis terminabatur in sex istiusmodi spicas floriferas, ad exortum ligula tenuissima ornata, reliquis spicis, quæ ex foliorum inferiorum alis originem ducunt, paulo breviores, sed copiosioribus floribus onustos.

GMELENI Flora Sibirica I. tom 4. pag. 181. T. LXX.

Cimicifuga Linn. Syst. Nat. 1282.



Actæa fructibus ficis plurimis. *Gm. Inst.*

Thalictroides glutinosum foetidissimum amplissimis foliis. *Ind. Len. 426. Irc. 607. Jen. 1128.*

Thalictroides foetidissimum Christophorianæ facie *Gmel. Amman. Ruth. 102.*

Actæa racemis paniculatis, fructibus quadricapsularibus *Linn. Spec. pl. 1. p. 722. n. 3.*

Radix perennis est, extus fusca, intus alba, crassa, nodosa, brevis, fibris plurimis crassiusculis, transversim in terra repentibus aucta. *Caulis* orgyam nonnunquam altus, ad exortum rubens, dilute viridis, & lævissime hirsutus, vix striatus, pro magnitudine plantæ haud admodum altus, parum cavus, mox ad exortum suum bifariam divisus, uno ramo usque ad triunciale spatium nudo, tum in nodum intumescente & abhinc in tres ramos hirsutos subdivisa, quorum singuli sustinent folium quale in Icone ad latus pictum est, sed multo altius, pinnatum, in recenti planta glutinosum, pinnis circumcirca ferratis, ad costam hirsutis, pallide viridibus, venosis; alter ramus, brevi post exortum folium, descripto simile emittit, altero subinde alterum sequente, ita tamen ut superiora semper minora sint, & suprema integra.



tegra. Extremum caulis plurimos emittit ramulos, satis longos, ad quos alternatim egrediuntur flores globosi, brevissimis pediculis innixi, corolla distituti, sed quatuor, quinque & sex calycis foliis, subrotundis, concavis, obtusiusculis instructi, filamentis plurimis, absque pistillo. Ipsum caulis fastigium in ejusmodi spicam terminatur, corolla nulla, calyce descripto simili, sed caduco, filamentis iisdem, antheris omnino fertilibus, pistillis pluribus numero variantibus, cum totidem stylis subulatis, stigmatibus convexis, styliorum longitudine. Ita aliquoties observavi in exemplis quæ Hortus noster Academicus alit, ut videatur planta magis ad Polygamiam monœciam L. pertinere, quamvis sæpe Dioica esse soleat, antheris circa fœmininas partes sterilibus, scimus autem naturam in sexu (haud) raro ludentem. *Capsulæ* tot quot ovaria, membranacea, unilocularia, apice conniventia, brevibus pediculis hærentia. *Semina* plerumque quatuor, minuta albentia, theca crispis quasi undulatisque membranis aspera obvoluta.

Spica florifera ante explicationem deorsum nutat, & tum demum erigitur, quando flores explicare incipit.

§. VII. LOCUS.

Dauria cis *Teniseam*, & in regionibus plerisque versus orientem.

A *Jacquino Prof. bot. Viennensi* etiam in montibus *Carpativis* observata.

Tempus florendi a medio Julii in finem Augusti.

§. VIII. CULTURA.

Climatis nostri patiens est hæc herba, ita quidem ut sub hieme illam tegere non sit opus. Multiplicatur vero per radicem, ex qua exfurgunt multa individua, si autem desideramus magnam copiam, semina serantur in olla
sub



sub dio, & demum transplantentur, præcipue in loca umbrosa, vel ut umbram sibi concilient, juxta parietes l. inter herbas.

Non est de nihilo, quod MESSERSCHMIDT, qui fuit primus inventor herbæ, nominaverit illam *Cimici-fugam*. Nam hinc veri simile fit, ei saltim narratum esse, Incolas in loco ejus natali adhibere illam ad Cimices expellendos. Quatenus ergo hi ingrati hospites nobis tam multa incommoda adferunt, semper quam maxime in votis fuit, ut contra illos aliquod specificum inveniretur. Non ergo, abs re, sed potius Operæ pretium esset, experimentandi gratia, in domibus, ubi illi grassantur, ponere herbam, infusoque ejus loca lavare, ut scilicet ita videre liceret, num virtutem illos expellendi habeat. Verum namque est, nobisque notum diversas fœtidas plantas, illis esse contrarias, ut *Cannabis*, *Ledum*, *Myrica*, *Tabacum*, *Geranium robertianum*, *Aconitum*, & plures alias ut videre licet e *Syst. Nat. tom. I. pag. 715*. Quatenus ergo hæc herba maxime est fœtida, ut mox ostendam, eatenus forsan, majorem ceteris memoratis hac in re præstaret effectum & forsan omnino optatum, quod magna certe res esset, & proficua.

Hæc herba oblata fuit Animalibus domesticis, ut Equis, Bovibus, Ovibus, Capris, & Suibus, sed omnia illam intactam relinquunt.

§. IX. QUALITAS.

Sapor parum acris.

Odor herbæ teterrimus, inter digitos trita vix tolerabilis est naribus, & ita tetra magis quam aliæ omnes mihi notæ plantæ.

Illam intra Cameram meam habui, & vehementer infestavit caput, ita quidem ut fere vomitum excitaverit.



§. X. VIRES.

A nullis medicis adhuc præscripta est hæc herba in aliquo morbo; persuasum autem mihi omnino, ut posthæc in usum Medicum præstantissimum præscribatur, utpote quæ certe vim eximiam habeat. Prisci ævi Medici, valde abhorruerunt a medicamentis venenatis. Recentioris ævi autem vim efficacissimam in iisdem invenerunt, ut videndum est in *Cicuta*, *Atropa belladonna*, *Aconito Napello*, *Hyoscyamo nigro*, *Phytolacca americana* &c. Hæc vero maxime est venenata, quod non solum cognoscitur ex ejus affinibus, quum in Ordin. naturali refertur ad *Multifloras* & ideo affinis est *Aconito*, *Delphinio*, *Actæa* & illis in Classe *Polyandria*; sed etiam patet ex ejus insigni qualitate *Tetra*.

Venenum in Regno Vegetabili est illud, quod noxium est systemati nervoso, ut *Tetra*, *Nauceosa*, & *Vivosa*; etiam illud quod nocet solidis, ut *Acria*, quæ folida corrodunt. *Cimicifuga* certissime est ex efficacissimis *Tetris*, longeque superat *Papaver*, *Actæam*, *Sambucum*, *Meliantbum*, *Cotulam*, radicem *Fritillariæ Imperialis* & reliquas *Tetras*, quæ omnes *Externe* applicatæ maxime sunt repellentes, & naturæ imprimis inimicæ. *Interne* sumpta, natura quærit per ductus varios illa evacuare e machina animali, per diaphoresin, sudorem; vomitum, alvum &c.

Operæ omnino pretium foret *Externe* illam tentare in *Hæmorrhoidibus cæcis*, *Panaritia* & in *Inflammatione externa* locis periculocissimis, contra *Glandulas infarctas*, *Scrophulas* & *Scirrhus*, immo ipsum *Cancrum*. *Interne* in *Artbritide*, *Hydrope* variisque aliis. Ejusmodi experimenta vero ita instituenda essent a prudendi medico, ut incipendo a minima & maxime refracta dosi, sensim ascendatur usque dum *Pupilla* incipiat dilatari, *Oculique*



magis scintillare, ad quæ phænomena Vela essent dimit-
tenda.

In *Hydrope* dixi, nam observandum est, narratum
fuisse D. GMELINO abs *Sibiria* Incolis, solere illos mor-
bum hunc atrocem curare cum infuso hujus herbæ, quod
propinant per totam hebdomadem, & quidem eo cum
optato effectu, ut magna portio aquarum per Vomitum
& Alvum evacuetur, Ægerque ad pristinam sanitatem
restituatur.

Quod vomitum excitavit, id pro certo possum affir-
mare, nam experimentum In me Ipso feci. E Foliis e-
jus sumsi semi unciam, quam infudi cum libra aquæ fer-
ventis, & dimidiam ejus partem circiter bibi, quæ por-
tio sumta post aliquas horas vomitum excitavit. Si hæc
herba Emetici loco adhiberi posset, minoris pretii certe
nullum Emeticum haberemus, nec forsan ullum efficacius
immo forsan eodem cum effectu, quo adhibetur

Ipecacuanba, quæ ideo adfertur in nostras
Officinas ab ipsa *Brasilia*.





CIMICIFUGA

Regnier del.

A. Åkerman Sc.

